
 SECTIO I.

 DE AVCTORE PARALIPO-
 MENON HOMERI.

Vix aliud est inter paullo insigniora graecae poeseos monumenta, de cuius auctore et aetate tam parum compertum sit, quam carmen illud Paralipomenon Homeri, quod Quinti Calabri nomen praefert. Nihil certi traditur praeter hoc, repertum esse sub finem seculi XV in Italia, et tum primum vulgatum, sub hoc nomine, per Bessarionem cardinalem; caeterum quis fuerit ille Quintus, qua patria, qua aetate vixerit plane non constat. Coniecturas proposuerunt, in hac rei obscuritate, viri docti, quas, quoniam testimoniis destituimur, necesse est adferre, et quid in iis sit veri paucis disquirere. De ipso nomine auctoris disceptatum fuit. Barthius, qui magnus fuit huius carminis admirator, omnino negavit Quintum esse auctoris nomen. „Adscriptum forte illud, a possessore aliquo Romano, codici alicui, vnde pro auctoris nomine habitum; verum nomen a poeta suppressum esse, modestiae studio; id ex eo apparere, quod grammatici graecanici plane illud ignorasse videantur. (v. Aduers. Lib. II. p. 69. 70.) — Scilicet fugerunt virum doctum grammaticorum loca, quae mox adferam. *a)* — Aliam opinionem proposuit

A 2 Rei-

a) Porro suspicatum esse Barthium, auctorem carminis esse Milesum Smyrnaeum, qui laudatur ab Eunapio, (Proaeres. p. 121. ed. Commelin.) testis est Fabricius B. Gr. T. I. p. 360. quem tamen locum in Barthii scriptis non reperi.